



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Cap. III. Excellentia Cultus Cordis Jesu ex fine excellentissimo declaratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

dor, O probrum cordis in schola Christi nutriti & educati!

CAPUT III.

Excellentia cultus Cordis Jesu ex fine excellentissimo declaratur.

DIximus superius excellentiam cujuslibet pietatis officii mensurari debere, Primum, ex rei excellentia quæ colenda proponitur: & hoc quidem punctum duplici superiori capite absolutum est. Tum ex excellentia finis cuiuslibet officio propositi: est enim in confesso apud omnes eo nobiliorem & excellentiorem actionem necessario esse, quo finis agentis nobilior & excellentior est. Jam vero finis cultui nostro propositus, hic est præcipuus, quemadmodum lib. I. explicatum est; ut injuriæ amantissimo Cordi ab hominibus ingratis inflictæ, maxime in altaris mysterio, eluantur, farciantur, compensentur. Hujus porro finis excellentia quanta sit, ut melius intelligi possit, duplex omnino adhibenda consideratio est. Altera de amore Jesu erga homines; altera de hominum erga Jesum ingrato animo, maxime in Eucharistiæ sacramento. Sic enim amorem immensum Cordis Jesu cum incredibilem hominum duritie comparando, apparebit & quam justa sit amantissimi Redemptoris querela; & quam æqua postulatio ut violatus ejus honor reparetur; & denique quam sancta & homine christiano digna exhibita

hibita idoneis obsequiis & operibus postulata reparatio, in qua demum finis intentus positus est. Ego vero quanquam me imparem tantæ rei explicandæ profus sentio, conabor tamen, quum opus susceptum id exigat, aliquid circa illa delibare, quod ad animos permovendos aliquantum aspirante gratia conferre possit.

De amore JESU erga homines aliquid attingitur, quantum ad propositum nostrum satis est.

Christus Jesus immensam Patris in homines charitatem exprimere volens, omnia paucis his verbis divina plane sapientia complexus est. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Nihil majus, nihil divinius dici potuit. Nos divinam illam sententiam ipsimet Jesu accommodemus: nulla aptior, nulla convenientior, incredibili ipsius amori significando. Sic Jesus dilexit mundum, ut semetipsum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Quis dilexit? Quos dilexit? Quantum dilexit? Hæc breviter perpendamus. Jesus Filius Dei Altissimi, Patri per omnia æqualis, universorum Dominus & conditor, nullius egens sibi que se solo sufficientissimus ac beatissimus; hic homines dilexit, homines inquam natura sua vilissimos, Deique dilectione per sese omni ex parte indignissimos: dilexit, quum jam ad communes naturæ miseras innatamque vilitatem, pecca-

peccati etiam fœditatem adjecerant . Jacebant miseri , infinitis obruti malis , quibus emergere nullo conatu , nullo humano consilio possent : Deo invisi , diabolo subjecti , extorres cœlo , æternisque suppliciis addicti , in pejora quotidie ruentes , cupiditatibus effrenatis fervientes , ad omnia scelera projecti , infinitorumque criminum colluvie spurcissime deformati , Dei majestatem violare iramque cœlestem provocare non cessantes : hos homines ita comparatos , tam viles tam fœdos tam turpes tam dignos odio Dei contemptuque , Jesus dilexit ; operi ferre miseris constituit , malisque omnibus quibus premebantur erutos immensis bonis cumulare gestivit . Hoc autem consilium non necessitate ulla cogente , non proprio impellente commodo , non spe ulla , non precibus cujusquam adductus , sed sola animi magnitudine , suoque dumtaxat sustentatus amore suscepit . Jam vero quanto amore dilexit , quam incenso , quam vehementi , id verò non modo non exprimi verbis , sed ne cogitatione quidem comprehendi potest . Tantopere dilexit ut cæco quodam , si ita loqui fas est , & impotenti amore accensus fuisse videatur ; certe quidem nullum in amore modum tenuit , suo nempe honore & commodo , sua dignitate , suisque demum omnibus rationibus posthabitis , fecit hominum causa quod nemo alius homo pro homine , non servus pro domino , non subjectus pro Rege , non filius pro parente fecit unquam , facturuse est . Sic dilexit , ut seipsum daret : daret , inquam , morte afficiendum ac crucifigendum . Deum infensum habebant homines :
hinc

hinc cæterorum malorum origo : Jesus ut Patrem placaret, divinamque vindictam a nocentium cervicibus averteret, se Patri obtulit debitas hominibus pœnas ipse luiturus; acceptaque a Patre conditione, ad opus se accinxit, remque ita executus est, ut orbem universum tanti prodigii admiratione defixerit : sua namque omnia hominum causa devovit, opes, gloriam, dignitatem, otium, vitam ipsam, illorum felicitati posthabuit. Abjectis primum ornamentis omnibus personæ suæ majestati debitis, semetipsum exinanivit servi formam accipiens : in extrema rerum omnium egestate nasci voluit, totamque vitam traduxit in paupertate, vigiliis, laboribus, ærumnis, periculis, persecutionibus, incommodis denique omnibus quibus infirmitas humana obnoxia est : nihil animo spectans aliud, quam ut hominum saluti consuleret. Ad hunc unum scopum cuncta vitæ divinissimæ momenta contulit : ut ne voculam quidem emiserit, non gressum ullum fecerit, non lacrymam fuderit, suspiriumve traxerit, nisi hominum gratia & amore. Verum parum fuit vitam omnem saluti hominum sic impendisse; majus quidpiam immensus poscebat amor : infinitæ caritati aliter satisfieri non poterat, quam significatione quadam infinita : majorem autem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Huc amor Jesu pervenit : animam suam pro hominibus posuit; mortem pro illis optulit : at quam mortem ? Recole o anima christiana genus mortis; recole vincula, alapas, sputa, flagel-

O

gel-

gella, spinas, clavos, crucem denique cui Jesus affixus est, & obstupescere, Dominum majestatis huc hominum amore fuisse compulsum. O amorem immensum! O vim dilectionis incredibilem! O charitatem solo Jesu dignam! Huic porro charitati bona omnia quibus nunc fruimur, aut quæ speramus in futurum, accepta referre debemus. Si vivimus, si conservamur incolumes, si dæmonum insidias vitamus, si tentationes vincimus, si æternis ignibus non cremamur, si a Deo diligimur, si filii ejus & hæredes nominamur & sumus: denique si felicitatem æternam speramus, hæc omnia Jesu charitati adscripta debemus.

Quid tanto amori rependere homines debuere.

Age jam, ut ad rem nostram propius accedamus, quid amantissimo Redemptori ad homines iterum venienti & inter ipsos in Eucharistia commoranti, sperare ab ipsis licuit obsequii, humanitatis, benevolentia, amoris, gratiarum? Quo pacto a fidelibus, post tot amoris monimenta, post tot ac tanta collata beneficia accipi tractarique debuit, qua pietate, quo studio, quo grati animi sensu, quo amoris ardore? Hæc vero quum animo facilius concipi possint, quam verbis exprimi; liceat sermonis imbecillitatem certis parabolis adjuvare. Finge tantisper animo, subjectos rebelles, post impiam a rege legitimo eodemque beneficentissimo defectionem, ab immani tyranno armis appetitos ac

cru-

crudelissime subjugatos, bonis spoliatos, omnique malorum genere oppressos, justissimas rebellionis poenas luere, sine ope, sine solatio, sine spe. Hoc rerum statu, si Regis filius unicus fortem ingrati populi misertus, innata clementia, animique magnitudine ductus, opem ferre miseris cogitaret, consiliumque susciperet eos in pristinam libertatem vindicandi; si arma ipse caperet, bellique defungi periculis vellet; si pugnare ipse, corpusque hostium telis objicere non dubitaret: quæ mens demum horum populorum esse deberet, quum princeps generosissimus post partam periculo suo sanguineque victoriam, repressa hostium feritate, longeque a regni finibus repulsa, e prælio revertens pulvere conspersus, sudore ac cruore madens, in rebellium oculis appareret; veniamque commissi sceleris benignissime impertiens, perduelles Patri reconciliaret, pristinisque juribus restitueret? Quæ gens esset tam inculta, tam horrida, tam immanitate fera, quæ hac clementia, his beneficiis, hoc amore non tangeretur, gratumque animum quaqua demum via liceret, ostendere non gestiret? Finge iterum, amicum reperiri tam fidelem, tamque alto præditum animo, qui ut amico in præfenti mortis periculo constituto opem ferat, mortique imminenti eripiat, certo exitio se libens volensque ipse objiciat, ac pro amico mortem oppetat. Quid eo casu sentire par esset eum, qui tam insignem amoris testificationem accepisset? Si tibi ipsi, qui hæc legis, simile quippiam accideret: si te fato quodam adversaque fortuna, crimine majestatis implicitum, certæ addici

morti contingeret; tibi que amicus esset tam generosus, qui ut te periculo eriperet, tentatis frustra omnibus se demum ipse pro te moriturus offerret: si petitionem urgeret, votique demum compos factus, te ipse vinculis exolveret, eisdemque inspectante te onerari se pateretur: si eum ad supplicium tibi destinatum rapi videres, si ferale pegma hilari vultu tui amore ascendentem, caputque lictori abscindendum dantem cerneres: si infamem mortem subiret lætus, præclare secum agi putans, vitæ suæ dispendio tuam servare incolumem; suumque in te amorem tam illustri significatione testatum tibi relinquere: quibus tu demum animi sensibus, quibus oculis huic spectaculo assisteres? Quæ tuæ cogitationes essent? Qui cordis affectus? Quæ voces? Quæ lacrymæ? An tu, si non ferreo & adamantino pectore es, amici tam fidelis, tam benefici, tam magnanimi oblivisci posses, aut de eo unquam cogitare absque intimo ac tenerissimo grati animi sensu?

Cogita jam quid facturus esses, si contra omnem expectationem, repentino & inopinato quodam miraculo, hunc amicum divina vi a morte redivivum, tibi reddi contingeret. Quo pacto eum ad te venientem exciperes? Quid illius gratia faceres? quid te facere certe par esset? Ille vero quid a te, tuoque amore jure suo expectare deberet?

Harum parabolæ ad rem nostram adaptatio, cunctis in promptu est, neque nostro indiget eloquio. Sed heu! quam pusillæ, quam infirmæ sunt, adductæ comparationes ad Jesu amorem explicandum! Quam

pa-

parum aptæ ad exprimendum quid ei ab hominibus debeat! Nullus unquam Rex pro subjectis, nullus amicus pro amico fecit, quæ fingendo narravimus: & si fecissent, nihil nisi homines essent, qui pro hominibus sui similibus passi essent. Tu solus o Jesu, ad hæc quæ commemoravimus vere præstanda adduci amore potuisti; & Deus es. Tu vere Rex ille es potentissimus, ac beneficentissimus, Rex Regum, & Dominus dominatum, qui ut viles rebellesque subjectos æternis suppliciis dignos, ab durissima peccati ac Diaboli servitute liberares, arma ipse cepisti, acerrimeque pro salute eorum dimicasti. Tu eos ab imminente exitio sudoribus, periculis, fusoque sanguine vindicasti, & in libertatem filiorum Dei asseruisti. Tu ille es amicus fidelissimus, immenso quodam ardens amore, qui ut amicos æternæ addictos morti, e tanta calamitate eriperes morti ipse te, volens libensque objecisti: iratum Patrem orasti supplex, veniam ut peccatoribus largiretur. Ille exorari se non est passus, nisi conditione adjuncta, ut tu pro nocentibus satisfaceres, pœnasque lueres illis debitas. At quam tandem satisfactionem ac luitionem exegit? Tormenta videlicet tum corporis, tum animæ crudelissima, contumelias, opprobria, flagella, sputa mortem denique Crucis acerbissimam. His his impensis, emenda tibi nostra salus fuit: at te, O amator invictissime, tam acerbæ conditiones non absterruerunt, non a proposito dimovere potuerunt: quicquid injunctum fuit amplexus es, ad plura difficilioraque paratus, si fuisset opus. Proh summe Deus! quid igitur

facient homines tui causa? Quid facient ut amoris tuo respondeant, seque meritorum tuorum memores, gratosque exhibeant? Heu tum temporis quum pro nobis tam dira patiebare, o amator dulcissime, ignotus omnibus, nihil pro tuo illo immenso amore, præter offensas, ac ludibria referebas. Verum hodie quum jam a nobis cognosceris, quis sis, & qualis sis: quum jam omnia tua nobis intime perspecta sunt, personæ dignitas, misericordia, amor, beneficia, labores, vita, & mors; quid nos demum facere decet, ut meritorum tuorum magnitudini quoquo modo respondere possimus? O si nobis tua iterum frui præsentia liceret! O si nobiscum iterum versari, iterumque commorari dignareris! Quæ nobis lætitiæ & exultationis materies? Veni, veni dulcissime & amantissime Jesu, redi ad nos; hanc cæteris tuis beneficiis gratiam adde, ut te ipso frui, tibi que ipsi grates debitas amorisque signa coram rependere possimus. Ecquem tandem eligere locum poteris, ubi aut impensius colare, aut amere vehementius?

Hæc vota quæ quisque nostrum toto pectore facturus fuisset, Jesus amoris sui vi, multo ante prævenit: rediit apud nos sponte sua, versari iterum, iterumque commorari apud homines voluit; versari inquam & commorari, non jam brevi aliquo annorum spatio, ut prius, sed usque ad sæculi consummationem: non alio certe fine ductus, quam ut suo constantissimo erga nos amoris satisficeret, nobisque pulchram occasionem præberet, nostro vicissim erga ipsum amoris faciendi satis.

Ne-

Neque vero favore illo inexpectato amor Jesu contentus fuit; majus aliquid & amabilius nostri causa molitus est: hoc suæ præsentiae beneficium, alio beneficio cumulavit, quod nos non cupere modo aut sperare, sed ne cogitare quidem potuissemus: nempe ita nobiscum esse voluit, ut cum unoquoque nostrum intime conjungi cupiverit: modum autem hujus conjunctionis stupendum plane, & ab ipso solo Jesu excogitandum ac perficiendum invenit, altaris Sacramentum instituendo, quo Corpus suum & Sanguinem, sub specie panis & vini in escam & potum nobis præbuit; ipseque in viscera nostra descendens animas nostras in vitam æternam alere voluit. Hoc porro amoris prodigio cætera beneficia ita cumulavit, ut infinitam suam charitatem, suamque omnipotentiam exhaustisse penitus videatur.

Ergo quæ summa votorum erat, amantissimum Jesum iterum possidemus. En apud nos est: habitat in medio nostri, eodem semper amore ardens. En adest, & eo in statu adest, ut nobis longe carior & amabilior esse omnino debeat: in hoc enim amoris mysterio se totum nobis tanta benignitate tantaque familiaritate tradit, ut curam omnem sui, suarumque rerum nobis ultro committat, penitusque relinquat. Nostrum erit habitationis illius locum aptum investigare. Nostrum, templa in quibus resideat ædificare. Nostrum, altaria super quæ immolandus pro nobis est, erigere. Nostrum, suppellectili necessaria templa & altaria instruere. Demum quicquid opportunum ad cultum, ad ornatum, ad de-

corem videbitur, suppeditare nostrum erit. Non alios ille ministros qui sibi inserviant, non alios aulicos, sociosve qui sibi assistant, secumque versentur, exoptat. Denique in medio nostri ita est, ut pro nobis dumtaxat ibi sit, ac totus pro nobis sit: aliorum honores, obsequia, munera respuit; a solis fidelibus deprecatur & expectat. O felicem igitur populum christianum tanto honore dignatum! Lætare, gens superis acceptissima, exulta, triumphos age. En quod cupiebas impletum est: vota tua cumulata sunt. Fruere præsentia illa amantissimi Redemptoris: utere facilitate adeundi, invisendi, colloquendi: vias illas tam multiplices amorem tuum, intimosque pectoris sensus ipsi coram testificandi, toto pectore amplectere. Erumpat demum amor ille tuus modis omnibus infirmitati tuæ possibilibus; nullumque alium grato animo tuo ac zelo præscribe limitem, quam quem amantissimus Dominus tuo amori, suisque beneficiis præfinivit.

Ingratus hominum animus expenditur.

Quid vero ad hæc homines? Quid obsequii, quid amoris, quid gratiæ Jesu Domino retulere? O rem incredibilem! post tanta beneficia, amoremque tantum, nihil non modo gratiæ & amoris, Christo Jesu inter homines habitanti a plerisque repensum est; ut potius odium, injuriasque sustinere coactus fuerit. Rem hanc tantisper expendamus, atque amori qui unquam extitit maximo, duritiam quæ esse possit maximam opponamus. Et

Et vero in quamcumque demum orbis christiani partem oculos conjiciam, occurrunt illico infanda undique ingratissimi animi monumenta. Hoc primum, quod magna Christianorum pars in hæresim lapsa Christi præsentiam in Sacramento negavere, amantissimumque Dominum inter illos habitantem agnoscere obfirmato animo renuere. Fecerunt id, quo nihil acerbius amanti contingere potest, quum non modo gratia pro beneficio accepto nulla refertur, sed ipsum etiam beneficium acceptum fuisse negatur. Illam porro primam injuriam aliæ infinitæ secutæ sunt, quas commemorare quamquam horret animus, tamen ut aliquid de iis attingamus finis nobis propositus omnino exigit. Ergo præsentia divini benefactoris semel abjecta fide, hæretici cæco quodam furore quasi perciti, rabieque acti, omnia nefanda contra Jesum in templis nostris residentem perpetravere. Parum fuit sacras ædes in quibus habitabat expilare, succendere, a fundamentis diruere, aras evertere, Sacrosancta tabernacula disturbare, Sacerdotes mactare, sacra vasa rumpere, profanare, fœcentisque execrandis modis polluere. Parum inquam hoc fuit, sacrilegas etiam manus in sacras pixides inferre ausi sunt; quodque audire refugiunt aures, mensque recordari perhorrescit, sacrosanctum Christi Corpus in terram per contemptum abjectum, luto & fordibus conspurcatum pedibus protrivere, canibusque ad manducandum objecere. O Jesu, huccine te coegit amor? tantumne valuit apud te desiderium manendi nobiscum? At hæc non semel aut iterum, non brevi ali-

P quo

quo dierum spatio, aut uno dumtaxat in loco commissa sunt; verum sexcentis in locis, lateque patentibus provinciis ac regnis idem furor grassatus est, ipsaque sæcula perduravit.

Et hæc quidem ab hæreticis: Catholici vero quid? Certe quum ipsi Jesum in Eucharistia præsentem agnoscant, summa omnia ab eis expectanda fuere: & ecce novum ex injuriis modo relatis incentivum amoris. Scilicet quum hoc ineffabile sacramentum Jesus instituebat, prævidit sane quid hæreticorum aliorumve hominum furore passurus esset; hoc, inquam, certo prævidit, nec tamen impeditus aut retardatus est, quominus hoc tam insigne beneficium nobis conferret: nihili ducens tam indigna pati, modo ut esse nobiscum posset. O quid igitur expectandum a Catholicis? Certe si opes suas omnes Jesu colendi causa profundant; si de Jesu dies noctesque cogitent; si ab illius præsentia disjungi se nunquam permittant; si pedibus ejus provoluti, a templis ubi residet non discedant; si coram illo non nisi prostrati humique reptantes honoris causa consistant; nihil profecto faciant, quod officium adversus tantum hospitem, quod amor in tam benevolum amicum, quod gratus animus erga tam insignem benefactorem, non exigat. Age ergo Catholicos intueamur, & quo pacto ab illis Jesus acceptus sit contemplemur. Infandum dictu! non modo nihil eorum quæ præmisimus a plerisque Jesu causa fieri cernimus, sed ne ipsas quidem communissimas amoris & obsequii significationes adhiberi videmus: non modo non profundi

di opes ædibus sacris ornandis, sed eas omnino necessariis ornamentis destitui: non modo de Jesu assidue non cogitari, sed eum prorsus oblivioni tradi: non modo singulari eum reverentia & honore non coli, sed irreverentiis, sacrilegiis, ac contumeliis affici. Heu quam multæ sunt ædes sacræ divina Jesu præsentia cohonestatæ, ruri maxime, & in pagis ac oppidulis; imo etiam in magnis sæpe civitatibus, ubi patronorum incuria aut avaritia, Jesus pauperius habitat miseriusque, quam habitare soleant vel infimæ conditionis cives. Nihil his in ædibus non modo magnificentum aut pulchrum, sed ne concinnum quidem & mundum; omnia vilia, obsoleta, immunda, horrorem potius parere apta, quam pietatem ac reverentiam excitare. Ego quidem, quum mihi iter habenti, aliove casu, non semel in ejusmodi templa ingredi contigit, templa, inquam, tuguriis, expositisque villis similia quam ædibus sacris; quum ruinosa ædificia conspexi, tectaque stramentaria hiantibus sæpe rimis diluta, imbribus ventisque pervia, parietes luto paleisque temere obductos, pavementum sordibus horridum; quum aras sacras vilibus vidi vestitas pannis, detritis, laceris, quibus sine dedecore honesta persona tegi non posset; hæc attonitus contemplans, imo pectore suspirans, dixi: O Jesu tu ne hîc præsens ades! O Rex gloriæ te ne in hoc tugurio habitare! Inter has sordes diu noctuque versari! Hæc de te Christianorum cura! His te laciniis induunt! His tibi vasis inserviunt! At ipsi certe apud se lautius & mundius habent. O fidem Christianorum ex-

inctam, qui Deum suum sic negligunt! O infinitam Jesu patientiam, qui hæc sustinet! Verum ad alia minus ferenda, divinoque Cordi acerbiora transeamus, nimirum amantissimus Dominus in amoris sui mysterio latitans, oblivioni prorsus a plerisque traditur, solusque in templis suis, velut ignotus ac peregrinus derelinquitur. Quot enim reperias catholicos, qui nunquam de Jesu apud eos habitante cogitant, nunquam ad eum officii causa accedunt, nunquam visitatione dignantur: qui non modo dies, hebdomadas, menses, sed annos ipsos effluere sinunt, sine ulla aut amoris, aut grati animi peculiari significatione. Itur quidem ad templa frequentius, festis saltem diebus, sacrificii causa: at eo ne spiritu illuc fideles confluunt, ut Jesu Redemptori suo debitos honores deferant, gratosque se pro beneficiis acceptis exhibeant? nihil minus. Atque ita contingit ut quum homines inter se, parentes, cognatos, amicos, benefactores, Magnates adire sæpe officii causa soleant; Jesus ipse amicorum fidelissimus, benefactor munificentissimus, parens amantissimus, Rex Regum & Dominus dominantium, solus in suis ædibus deseratur, sine amicis, sine aulicis, sine cultoribus. Quæ derelictio eo illi acerbior accidere debet, quod urbes nostras, nostri dumtaxat gratia, solaque utilitatis nostræ ratione ductus incolit. O si sic cum terreno principe ageretur! si subjecti, si aulici, si filii, qui omnia ab suo Rege ac patre accepissent, sic cum eo se gererent; ita illum negligerent ac contemnerent: quo demum animo id cerneremus?

Ve-

Verum hæc adhuc parva sunt, si cum injuriis quibus Jesus inter ipsos Catholicos expositus est, comparentur: irreverentias dico, sacrilegia, cæteraque peccata in templis committi solita; quæ hîc commemorare non est animus, præsertim quum cunctis nota sint. Hoc dixisse uno verbo sufficiat, nullum esse tam exiguum principem aut dominum, cui præsentem non major deferatur honos, quam Jesu in domo sua a multis defertur. Imo in privatis honestarum personarum ædibus decen-
tius agi, quam agi plerumque soleat in templis; ubi nihil frequentius est, quam fideles videre, ipso etiam sacrificii tempore, aut stantes, aut indecore sedentes, aut libere & immodeste colloquentes, oculos circum quaque petulanter versantes, invicem fabulantes ac salutantes; eo denique se prorsus modo gerentes, quo in foro aut in profano confessu assolet.

Jam quid dicam de accessu ad sacram mensam, ubi Jesus ipse sumitur, nobisque intime copulatur? Amore ille totus ardens se nobis tradit, nos contra ægre ac frigide accedimus; imo bene multi accedere negligunt, cogendique sunt Ecclesiæ minis, & intentatis æternis suppliciis. Alii sacrilegos amplexus Jesu dare non horrent. Cæteri ferme omnes sine amore, sine sensu, sine præparatione Sacramentum suscipiunt. Ad Missæ Sacrificium quod attinet: quo demum pacto, aut in eo celebrando Sacerdotes, aut in audiendo alii fideles se habere solent. De Sacerdotibus quidem, si mores plerorumque, modumque sacrificandi consideres, jam Missam munus aliquod e popularibus esse dicas ad

pecuniam lucrandam utile, quod celeriter & expedite conficere pulchrum sit. Quam imparati multi accedunt! Quam indecore rem sacram faciunt! Quam irreverenter sacrosanctum panem manibus tractant! Panis ille quem sine sacro quodam horrore ac fremitu tangi non liceat; heu tangitur, locoque movetur tam irreligiose, tam præcipitanter, ut non caro Christi, sed vile panis frustulum videatur. Cæteri fideles, nihilo sanctius erga divinißimum mysterium afficiuntur: multi interesse negligunt; alii nonnisi cum satietate ac molestia affistunt. Itaque fit, ut eo ipso tempore quo Jesus se Patri æterno victimam pro peccatis hominum offert, ipsi homines quum hoc sciant adesse, tamen aut renuant, aut ita negligenter adsint, ut continuis animi vagationibus ad diversa se distrahi patiantur.

En igitur (ut tandem ad conclusionem veniamus) En quo pacto Jesus ad homines rediens, acceptus ab illis est: hi honores illi delati: hic amor repensus: hæc grati animi significationes exhibitæ. Audiant hæc omnes quibus æqui justique amor inest: quotquot humanitatis sensu tanguntur: audiant, & inauditum inhumanitatis prodigium erubescant & exhorrescant. Repetamus sane quæ toto hoc capite a nobis fusius dicta sunt, & in pauca contrahamus, ad pudorem & horrorem acrius, si fieri potest, excitandum. Jesus universorum conditor, populorumque omnium supremus Dominus, sed Christianorum præcipua quadam ratione Pater & Rex; ille ipse qui de coelo illorum gratia descendit, vitæque suæ momenta singula eorum saluti & incolumitati

tati

tati consecravit; qui tormenta crudelissima Crucisque mortem sustinuit, ut eos ex inferorum incendiis eriperet, aditumque in paradisum referaret; ille ipse Jesus amoris sui impetu actus, ut a Christianis separari nunquam posset, Sacramentum Corporis sui instituit, mediisque in urbibus nostris habitare voluit: sexcentis nunc locis præsens adest, nobis proximus ac vicinus, eodemque sæpe tecto nobiscum utens; & tamen Jesus non amatur, oblivioni datur, negligitur, derelinquitur, contemnitur, injuriis ac contumeliis appetitur. O prodigium! obstupescite cœli super hoc: nihil stupore vestro dignius. Tuque obstupescere terra quæ hæc vides. Vos mortales, qui hæc cernitis, fremite indignabundi. Cognoscant hæc infideles ac barbaræ gentes, & exclamabunt: O populum Christianum immanem prorsus ac ferum! Quam orbis denique partem tam agrestem tamque horridam incolunt? Sub quo tam duro tamque ahæneo cœlo spirant ac vivunt? An cor carneum, ut cæteri populi, an ferreum potius gerunt? Quid enim, amore Dei sui, & tali quidem tantoque amore eorum duritiem non emolliri? Nullam amoris scintillam excitari? Quid, ingratum esse post tot beneficia: hoccine hominum est, an belluarum? O Cor Jesu sacratissimum, omnium cordium nobilissimum, generosissimum, tenerrimum, qui tui esse sensus debent? Quam acerbus dolor, quum sic amorem tuum contemni vides? Hucine conatus omnes tui, labores, vigiliæ, tormenta recidere, ut ingratos denique faceres?

Que-

Querela Christi justissima: eique satisfaciendi necessitas.

Et hæc quidem sunt quæ Jesum cogebant apud sponsam illam tuam, de qua superius dictum est, conqueri. *Cor suum detegens: vides Cor meum, Cor inquam illud tanto hominum amore succensum, ut nihil intentatum reliquerit, quo amorem suum significaret.* Ego miseris hominum permotus, eosque malis infinitis quibus oppressi jacebant eripere cupiens, nullo meo fundente commodo, sed amore solo quo illos complector incitatus, e cælo veni, formam servi accepi, memetipsum exinanivi, illisque me similem per omnia reddidi; corpus humanum indui cunctis infirmitatibus cæteris communibus obnoxium, vitam vixi laboribus ærumnisque plenam; quicquid egestas, vigiliæ, fames, sitis, frigus, æstus, hominum invidiæ & odia afferre malorum possunt, hoc omne illorum gratia sustinui. Parum hoc fuit, gravius quidpiam justitia Patris, amorque meus poscebant: sanguine litandum fuit, vita prodigenda, supplicioque Crucis finienda. Nihil hæc amoris mei vim & impetum retardarunt; corpus vinculis, alapis, sputis, clavis, spinis vexandum dilaniandumque tradidi, fudi sanguinem, exhaustæ sunt venæ: Crucis denique, ego innocens, ego Dominus, ego Deus, pro nocentibus, pro servis, pro vilibus creaturis sum affixus. At poteram certe minori dispendio eorum saluti prospicere, poteram gutta sanguinis, poteram lacryma. Verum hoc amoris mei vim immensam non
fatis

fatis declarasset. Oportuit amorem infinitum, signo aliquo amoris immenso esse testatum. His omnibus majus aliquid amor meus excogitavit: Corpus meum & Sanguinem hominibus in cibum, potumque tradidi, ut una res quodammodo effici cum illis possem. His certe eorum emolliri corda debuere; eosque gratos futuros post tanta beneficia sperare certe fas erat. Sed O spes falsas, inanisque labores meos! *Horum hominum maxima pars non modo se gratos non exhibent; ut me etiam adersentur, injuriisque ac contumeliis in hoc amoris mei mysterio assidue laceffant: quod eo acerbius accidit, quod a personis etiam mihi dicatis hec pati cogor.* Unum ergo superest amori meo perfugium, unum solatium, in tua nimirum paucorumque fidelitate repositum. Vos afflictissimi Cordis mei mœrorem abstergite: *inflictae injurias vos compensate: violatum tot injuriis honorem meum vos, si me amatis, farcite.* Et quidem si scire cupis quem potissimum honorem & cultum Cordi meo adhiberi velim. Accipe: *Abste peto ut feria sexta que post octavam Corporis mei proxima sequitur, Cordi meo colendo peculiariter sit dicata: quæ die ad sacram mensam accedendo, injuriæ Cordi meo in altaris mysterio inflicte, eo maxime tempore quo fidelium venerationi expositus sum, violati honoris reparatione sarciantur.* Hac Jesu querela, quid justius? Quid concitandis animis potentius? Et si quis in nobis remanet sensus, si qua adversus amantissimum Redemptorem fides ac pietas, an possumus his illius vocibus non commoveri, omnique ope non conniti, ut ejus desiderio ac

Q pe-

petitioni faciamus satis? O vos quos æqui amor tangit, vos qui Jesum aut diligitis aut certe diligere cupitis, quæ vestræ cogitationes esse debent, qui Cordis affectus, quum Jesum vestrum prædictis contumeliis expositum cernitis, eumque tam amanter conquerentem auditis? At enim non ipsi vos fortasse in eum injurii fuistis, nullumque tam gravi querelæ locum ipsi dedistis. Esto, sit ita sane: de vobis nihil Jesus habeat quod conqueratur. Verum hoc cogitate, hocque vobiscum reputate, non satis esse ab injuriis abstinere; officii plane vestri esse irrogatas ab aliis injurias compensare, afflictoque Cordi Jesu peculiari quadam ratione ac cultu, solatium ac consolationem afferre. An vero filio charissimo, qui patrem gravissimis affici injuriis cerneret, satis esset, se patris inimicis non adjungere, seque ab inferenda injuria dumtaxat continere? An pietatis potius non esset, contumeliosis, totis viribus resistere, patrisque injuriam impedire, si posset; sin minus aliqua via damnum illatum resarcire, honoribusque extraordinariis patris ignominiam eluere, quantum fas esset? An igitur nos minori in Jesum studio feremur, quam filii soleant in parentes, aut in amicos amici? An ego, qui si amicum male tractari mei causa videam, sine dolore ferre non possum, nec sine acri desiderio damnum illius compensandi; patiar scilicet immotus, siccisque cernam oculis, Jesum Salvatorem meum, amicum fidelissimum patremque amantissimum, crudelissimis mei causa injuriis affici. Hunc sciam infinitis propter me in amoris sui mysterio affectum fuisse

fuisse contumeliis, omnique probrorum genere vexatum, flammis traditum, vulneribus confossum, pedibusque impiorum protritum; aliaque omnia perpessum, quæ homines perditissimi Dæmonum furore afflati excogitare potuere. Hæc sciam, hæc videbo, hæc recogitare potero, nec commovebor? Et sine sensu doloris remanebo, quasi si hæc nullatenus ad me pertineant, nullaque ego cum Jesu ratione conjunctus sim? Me miserum! Si tam inhumano tamque ferreo pectore sim: si me sic pietas, sic humanitas omnis deserat. Avellatur sane potius e pectore Cor tantæ vecordiae capax: mori siquidem longe præstat, quam talis perfidiæ reum effici. Heu! heu! dulcissime Jesu, non committam, tua adjutus gratia, ut tantum in me scelus reprehendere unquam possis. Certum mihi fixumque est, me sacrosancti Cordis tui cultoribus adjungere, tuæque tam justæ petitioni ac querelæ satisfacere. Tuis igitur posthac pedibus millies accidens, te in hoc amoris sacramento supplex venerabor: amorem tuum ab ingratis hominibus impie neglectum deflebo, meisque lacrymis sacra illa loca in quibus resides, tot tantisque flagitiis violata, eluere omni ope conabor. Illam quam postulas tam æquam violati honoris reparationem, Cordi tuo sanctissimo humi prostratus mœrens adhibebo. Denique nihil omittam, quo nefanda in te, amoremque tuum perpetrata compensare queam.

Hic jam aliquando mihi quærere liceat: primum, an quidquam esse sanctius possit, homineque Christiano dignius his animi affectionibus, quas toto præsen-

ti capite excitare conati sumus? tum, utrum religionis officium, quo id unum spectatur, ut pii ejusmodi sensus in animis nascantur, natiq̄ue alantur & augeantur, solidum sit, veræque pietati consonum, dignumque quod ab Ecclesia universali recipiatur? Denique an non deceat ejusmodi pium officium publicum reddi, cujus nimirum ope, Fideles ad tam sanctos erga Jesum affectus excitari possint? Quemadmodum enim certi dies ad Christi Domini passionis memoriam celebrandam ab Ecclesia consecrati sunt; in quibus opprobria ab amantissimo Redemptore pro nobis suscepta, peculiaribus adhibitis honoribus publice compensantur: ita consentaneum prorsus erat, certos dies pari ratione decerni, in quibus similiter injuriæ, ab eodem in Altaris mysterio acceptæ solemniter quoque sarcirentur. Quum certum sit Jesum in Eucharistiæ sacramento instituendo, non minorem nobis dilectionem exhibuisse, quam quum pro nobis mortuus est: nec minora in hoc eodem Sacramento tolerasse, quam quæ passionis tempore toleravit.

Atque hæc demum de excellentia finis hujus SS. cultus erga Cor Jesu dicta sufficiant.

CAPUT IV.

Excellentia tum virtutum quæ cultus Cordis JESU complectitur, tum fructus qui ex ejusdem praxi colligitur.

Hæc sunt duo posteriora capita, unde excellentia cujuslibet pietatis officii certo dignosci possedi-